

Meritis tue probitatis inducimur, ut personam tuam quadam prerogativa gratie prosequentes eam et oportuno muniamus favore ac honore congruo attollamus. Ut igitur eo ferventius nostris et imperii obsequiis gratus insistas, quo amplius per nos te senseris honorari, te de speciali benivolentia in Capellanum nostrum duximus admittendum, et quia multa debent inmunitate fulciri, quos nostri lateris comitatus illustrat, mandamus universis et singulis, quod te ut Capellanum nostrum pro nostra et imperii reverentia studeant semper honore debito prosequi et gratia summopere speciali.

2. *Ein König (Konrad IV. oder Manfred) ernennt jemanden zu seinem Kapellan.*

Wilhering, Stiftsbibl. Nr. 60 f. 120. Ungedruckt.

Cum videatur expediens et honestum regalem curiam personis honorabilibus honorari, ad familiaritatem magis illorum allicimur contrahendam, qui ad hoc sue probitatis industria nos invitant, et quorum devotis obsequiis regalis potest excellentia sublimari. Hinc est quod nos devotionem sinceram et fidei puritatem, quam erga celsitudinem nostram talis habere dinoscitur attendentes, ipsum in nostrum Capellanum liberalitate regia duximus admittendum, et quia etc.